



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Persona Actoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

## ARTICVLVS II.

### De Persona Actoris.

1. Agere potest quilibet qui lege non prohibetur.
2. Excommunicatus agere non potest.
3. Agere qui iure prohibentur.
4. Actor venire debet paratus.
5. Reus an teneatur actori edere instrumenta quibus probet intentionem suam.
6. Procuratorem quis constituere possit.
7. Nemo cogitur per procuratorem litigare.
8. Procuratores plures si constituantur, quis eorum agit.
9. Procurator in quibus præiudicat principali.
10. Contra procuratorem que possint opponi.
11. Procurator habere debet sufficiens mandatum.
12. Mandatum quomodo probetur.
13. Acta per procuratorem ante receptum mandatum, sunt nulla.
14. Procurator tenetur iurare in animam propriam cum iurat de calumnia.
15. Iuramentum calumnie omitti potest taciturnitate partium.
16. Procurator quando possit iurare in animam principalis.
17. Procurator non debet reuelare Scripturas sui principalis.
18. Procurator non potest pacisci de quota litis.
19. Procuratoris potestas quando finitur.
20. Procurator reuocari potest non obstante iuramento de non reuocando.
21. Reuocatio procuratoris intimari debet iudicio.
22. Mandatum an lapsa alicuius temporis finitur.

1. Agere potest in foro Eccle. quicūque lege non prohibetur, siue fuerit ex Diocesi seu ex territorio indicantis, siue non, dummodo reus ad illud forū pertineat, rei enim forum actor sequitur. *l. si Clericus. de fo. com. & l. iuris ordinem. l. in criminalis. C. de iurisd. omni. iud.*

2. Prohibentur autem iure agere. Primò excommunicatus. *cap. intelleximus. de iudic.* ita ut neque contra alium excommunicatum agere possit. *Dec. cap. intelleximus. cit. num. 18.*

3. Prohibetur etiam agere Collegium vel Capitulum sine assensu sui Prælati &

Monachus sine permissione Abbatis, siue Superioris sui. *cap. causam. qua. 1. lo. cit. de iudic.* Item & minorennis sine tutore agere non potest. *l. cum & minores. C. si aduersus rem. iudicat.* Item nec filius contra Patrem, vel seruus contra Dominum. *l. lis. nulla ff. de Iudic.*

Ad extremum ciuilliter nemo agere potest nisi qui fuit principaliter læsus, vel qui læsum habet in potestate, ut si Pater agat pro filio, Dominus pro iniuria serui, maritus pro vxore. *videri potest latius apud Maran. p. 6. de inquis. nu. 60.*

In criminalibus autem ultra prædicta prohibetur agere mulier. *cap. prohiben-*

hibentur. 2. quæst. 1. casu verò quo agere permitteretur, non teneretur inscribere se ad poenam talionis. *l. mulier. ff. ad Senatusconsult. Turpil.*

Pupilli quoque & minores prohibentur agere in criminalibus. *cap. prohibentur. cit.* Et Laicus non potest agere pro crimine contra Clericum. *cap. nullus. & seq. 2. quæst. 7.* imò nec Clericus accusat Laicum ad poenam sanguinis, sed ex alia causa. *cap. sicut Sacerdotes. lo. cit.*

Criminosi præterea ab accusatione repelluntur. *cap. qui sine. 3. quæst. 7.* Item & suspectus de calumnia, ut si quis antea falsum testimonium fecerit, vel si quis videretur suspectus de corruptione propter paupertatem. *cap. prohibentur. cit.* Sitamen sua vel suorum iniuria prosequenda sit, etiam prædicti omnes agere possunt. *Abb. in cap. de cætero. de testib. vbi sub fin. ponit quinam veniant nomine suorum. ad hoc l. lex Cornelia. ff. de iniurijs. DD. in Marant. lo. sup. cit. num. 62. Host. in sum. de Procurat. num. 13. vbi ad quartum gradum affines in iudicio sine mandato Procuratorio admitti posse docet, eosque coniunctorum nomine intelligi, sed in computandis hoc casu suorum gradibus sequendus est potius usus cuiusque regionis. ut notat Abb. in cap. cum oporteat. num. 3. de accusat. Felin. in cap. cum dilectus. numero 7. eo. tit.*

Possunt etiam prædicti agere pro iniuria contra Religionem, vel patriam facta, talis enim iniuria censetur propria cuiusque, & eam quilibet tanquam propriam prosequi potest. *Abb. in cap. de cætero. cit. de testibus. Marant. lo. cit. num. 63.*

Item si ageretur per modum denunciationis, seu per inquisitionem, & vbi non

agitur ad poenam ordinariam, sed tantum ad correctionem. *cap. quoniam iun. gl. v. mulieres. de testibus.* tunc enim denunciatus non agit in iudicio partem actoris, vnde neque se inscribit ad poenam talionis. *Host. in sum. de denunt. n. 1.* Alioquin actor agens criminaliter ordinariè teneretur inscribere se ad poenam talionis. *cap. super his. iun. gl. v. oportet. de accusat.* licet hæc inscriptio amplius non sit in usu, sed iudex caluniosè accusantem poena arbitraria punire soleat. *de quo Couar. var. es. lib. 2. c. 9. num. 1.*

Actor autem venire debet paratus ad iudicium. *cap. fin. de dol. & cont. & l. si quando. C. de dilat.* Teneretur sumptibus proprijs dare copiam primi libelli reo. *Marant. cit. de act. edit. num. 55.* Reus verò non tenetur edere instrumenta, vel rationes actori ad comprobandum intentionem ipsius. *cap. 1. de prob. nisi instrumenta fuerint communia. Abb. eo. tit. num. 26.* vel nisi agat fiscus, tunc enim teneretur reus edere instrumenta. *l. nec quisquam. ff. de eden. si nimirum fiscus agat civiliter, alioquin si ageret criminaliter, vel ad multam pecuniariam, non teneretur reus ipse edere instrumenta. Bart. & comm. DD. in l. 2. C. de eden.*

Teneretur etiã reus edere instrumenta, si ageret Ecclesia, hæc enim æquiparatur fisco. *Abb. lo. cit. & communiter DD. arg. l. fin. C. de Sacros. Euch. & in casibus in quibus publica utilitas versatur, & in causa alimentorum vel dotis, hæc enim æquiparatur quoque fisco. Dec. in cap. 1. cit. de probat. num. 75. vbi plures limitationes cum suis circumscriptionibus inuenies.*

Contra autem actor tenetur reo edere suas rationes & instrumenta reo ex communi opinione. *de qua Villalob. comm.*

*Comm. op. sub. lit. e. nu. 15. Petr. à Duay. Reg. 20.*

6. In persona Actoris siue rei interuenit etiam Procurator, quem quilibet, qui lege expressè non prohibetur constituere potest, tam in ciuilibus quam in criminalibus: nisi quod reus in criminali actione, si non fuerit carceratus per Procuratorem defendere se nō posset, præterquam absentiam excusare. *Marant. cit. p. 4. dist. iudic. 1. num. 42.*

7. Nemo tamen cogitur per Procuratorem litigare, nisi ipse velit, præsertim in grauioribus causis, vnde si fuerit quis legitimè impeditus, sufficit quod mittat nuncium qui excuset ipsius absentiam. *cap. querelam. de Procurat. gl. princ. in cap. si agrotans. 5. quæst. 3. Abb. in Clem. vi. num. 8. de fo. comp.* Si tamen longum esset impedimentum, & negotium esset leuis momenti, posset cogi per Iudicem ad constituendum Procuratorem si ipse adesse non posset. *Hofst. in sum. de Procurat. num. 10.*

Potest autem institui Procurator siue vnus, siue plures. *cap. si duo. de Procurat. in 6.* & si plures fuerint, vnus sine altero litem prosequi non potest. *lo. cit. in causis tamen beneficialibus vsu receptum est in Curia, vt valeat processus cū vno Procuratore, licet fuerint dati plures, de qua praxi testatur Vestr. lib. 4. c. 5. n. 18.* si verò fuerint cōstituti plures in solidū, præoccupās promouere debet causam; alias verò non nisi in casu quo prior prosequi nollet, vel occupatus esset. *vt post. tex. cit. in 6. notat Dec. in cap. in nomine Domini. num. 38. de testib.*

Procurator repræsentat in omnibus personam principalis sui, vnde & acta per ipsum efficiunt principalem. *cap. 1. de Procurat. & confessio ipsius principali præiudicat. Felin. in cap. si cautio*

*num. 88. de fid. instrumen. nisi tamen excedat fines mandati, excedendo enim fines mandati, nihil ageret, nec posset Domino præiudicare, cum mandata sint stricti iuris, nec possint excedi vltra quā sonant. cap. qui ad agendum. de Procurat. in 6. Clem. non potest. eo. tit. Neque præiudicat Domino factum Procuratoris, si Dominus statim contradicat. gl. in v. protinus. in cap. cum olim. de elect. & quomodo per Dominum contradicōi possit, seu reuocari confessio Procuratoris, vel etiam per ipsummet Procuratorem, saltem cum iuramento super errore, consuli potest Innoc. Abb. & DD. communiter. in cap. fin. de confess. Rot. decif. 260. in no. & decif. 613. par. 1. diuers.*

Omnia quoque quæ contra principalem obijci possent, possunt opponi contra procuratorem, vt quod principalis ipsius sit excommunicatus, nec agere possit excommunicatione durante & similia. *Hofstien. lo. cit. sup. nu. 15. vers. possunt tamen, Abb. in Clem. fin. de Procurat.*

Opponi potest & contra personam ipsius Procuratoris, vt quod ipse sit excommunicatus. *cap. post cessionem. de probat. Rot. decif. 195. in no. vel quid simile, propter quod locum standi in iudicio nō haberet, vt si esset infamis. c. 1. 3. 9. 7. si sit impos mentis, furiosus. l. 2 §. furiosus. ff. de Procur. Regulariter autem quilibet potest constitui Procurator, nisi certa lege prohibeatur. *Hofst. in sum. lo. sup. cit. n. 8.* Et si prohiberetur aliqua lege esse Procurator, ad huc processus cum ipso factus esset validus, nisi exciperetur contra ipsum ante prolationem sententiæ. *vt deducit Felin. in c. post cessionem. cit. num. 22. excipiendo**

solum excommunicationis impedimentum, quod tamen æquè cum alijs impedimentis transire, nec vitari processum ex eo quod fuerit factus cum excommunicato, nisi opponatur exceptio excommunicationis ante prolationem sententiæ, probat *Dec. eod. loc. à num. 17 sequitur Innoc. ibid.*

**M.** Debet autem Procurator habere sufficiens mandatum, alioquin potest contra ipsum opponi in quacunq; litis parte, & etiam per ipsummet Iudicem posset repelli à iudicio. *gl. v. absentia. in c. 1. de elect. in 6. Abb. in cap. innotuit. eod. tit. num. 10. Achil. de Grass. decis. 253.* Imò facta per Procuratorem antequam receperit mandatum non tenent, quia ante susceptas litteras mandari, nondum est Procurator. *Rot. decis. 145. in no. Mohed. decis. 5. de procurat. alias decis. 101.* Sufficiens autem mandatum dicitur cū datur ad agendū & defendendum, nam datum ad agendum tantum non censetur sufficiens. *cap. constitutis. de procur.* Et quidem si Procurator voluerit sustinere partem actoris, nullo modo sine mandato est admittendus, nisi fuerit persona coniuncta principalis & caueat de rato. *cap. nonnulli. de rescript. & conunctorum nomine veniunt affines ad quartū gradum, ut supra diximus ex Host. si autem pro reo esset comparendum, Procurator sine mandato vel saltem ut defensor admitti debet, facta solum cautione de iudicato soluendo in casibus in quibus per ipsum solui posset. Abb. in c. 1. num. 10. de ressit. spol.* Et ratio pro citato militat, quia nimirum publicè interest absentes per quemcunq; defendi, *l. seruun quoque. S. publice. ff. de procurat. Host. loc. sup. cit.*

Mandatum probatur scriptura authentica, de qua *Dec. loc. sup. cit. à nu. 6.*

Probatur & per testes. *Bald. decis. 190. Villalob. comm. optin. lit. P. nu. 331.* Probatur item & per litteras priuatas ipsius constituentis, vt si principalis per litteras suas constituat quem in suum Procuratorem, talis enim constitutio procuratoris valet. *Veral. decis. 397. p. 2. præsertim si litteræ recognoscantur per testes fuisse scriptæ seu subscriptæ manu propria constituentis. Dec. lo. sup. cit. ad hoc. Cas. de Grass. dec. 115. alias 2. de præb.* Et quandoque sufficit quod mandatum sit signatū sigillo constituentis si sit notum. *Rot. decis. 87. in antiq.* Vnde & mandatū cum solo sigillo Prælati & Capituli seu conuentus tenet. *ea. Rot. decis. 790. ibid. in antiq.*

A die autem recepti mandati & non ante siue à vera noticia mandati acquiritur potestas Procuratori. *vt notat gl. v. receptis. in Clem. 1. de procurat.* ante receptionem autem seu noticiam mandati acta per Procuratorem non tenent. *vt notat Alex. in l. licet. nu. 1. C. de procurat. Felin. in cap. sciscitatus. num. 15. de rescript. Vestr. cit. lib. 4. cap. 5. num. 26. in annot.*

Tenetur Procurator iurare de calumnia in animam propriam & non tantum in animam principalis. *gl. in cap. in appellationis. v. ab ipsis. de iuram. calum. in 6. DD. communiter in cap. præsentium. de testib. ibid. in 6.* hocque esse vsitatum in Curia Romana testatur *Rot. decis. 40. in no. Vestr. loc. sup. cit. num. 17.* Iuratur autem tum, quod dilacionem nō petet qua lis tardetur, quod falsis probationibus vel corruptionibus non utetur. *l. cum & Indices. C. de iur. iuran. prop. calum. Authen. iubemus. col. 9. tit. 7. Host. in sum. de iur. calum. nu. 6. Spec. de iuram. calum. S. nunc dicamus.* Et potest exigi hoc iuramentum in quacun-

- quacunque litis parte etiam post conclusionem in causa. *Bald. in l. fin. C. de iuram. calum.* Omissum tamen hoc iuramentum silentio partium non vitiat processum. *cap. 1. tit. cit. num. 6.* quin imo vix est in usu, cum & parui aestimetur. *Bald. in l. si post perfectum. C. de electionib. nec excusat iurante, quo minus possit agi contra illum de calumnia evidenti commissa in iudicio, sed non de tacita vel praesumpta. idem Bald. in l. si tibi seruitutis. C. de liberali causa.* In animam autem principalis tum demum iurare potest procurator, si ad hoc habet speciale mandatum, alias non. *Bart. in l. qui bona. §. si alieno ff. de damn. infect. & in l. 2. §. si. C. de iuram. calum.* non tamen in casibus in quibus non potest iurare quis per alium, ut praedicialibus vel ubi iuramentum requiritur pro forma, vel ubi eligitur qualitas personae, ut accidit in testibus electis qui non possunt iurare per alium. Et quae iuramenta possint expediri vel non per mandatarium, videri potest apud *Abb. Felin. in cap. licet ex quadam. de testib. Card. in Clem. 1. nu. 11. de iur. Bart. in l. nemo est. ff. de duob. reis. & in l. 1. ff. de var. & extraord. cogn. Bald. in l. 1. §. ne autem. C. de Cad. toll. Paris. de resig. lib. 9. quaest. 12. à num. 5.*
17. Procurator item reuelare non debet secreta siue instrumenta principalis sui parti aduersae, alioquin puniri posset tanquam praevicator. *l. 1. §. ii qui. ff. ad l. Corn. de fals. & l. 1. ff. de praevic.*
18. Non potest pacisci cum suo principali de quota litis parte sibi danda, si vincat, puta tertia, quarta, dimidia. *l. item. C. de procurat.* alias enim daretur ipsi occasio vincendi per fas vel nefas, pacisci tamen potest de certo salario

sine sportula si litē obtinuerit, vel non. *Nau. in Man. cap. 25. num. 30.*

Non potest item detinere scripturas principalis in pignus salarii sui, sicut neque Iudex, nisi pro expensis circa actus iudiciales factis. *Boer. decis. 15. à num. 1. Vestr. cit. lib. 3. cap. 4. num. 8. in annot.*

Finitur potestas ipsius morte mandantis. *Host. in sum. de procurat. num. 15.* Finitur & reuocatione quam principalis semper facere potest, etiam si iurauerit de non reuocando, isti enim facultati renunciari non potest etiam per iuramentum, sicut neque beneficio restitutionis in integrum. *gl. in cap. fin. de procurat. in 6. Felin. in cap. si diligenti. num. 32. de fo. comp. Mohed. decis. 189. alias. 28. de renunciat.* Postquam tamen fuerit effectus litis Dominus, seu post litem contestatam, non potest reuocari nisi ex causa, vel ex ipsius & partis consensu. *cap. 2. de procurat. in 6. Felin. in cap. ex parte Decani. de rescript. Mohed. decis. 84. alias 4. de procurat.* minus tamen valet ipsius consensus, nam licet contradicat, tamen non debet ingerere se in causa stante reuocatione, ne videatur suspectus, sed solummodo posset facere cognosci an sit iusta reuocatio. *Rot. decis. 145. par. 1. diuers.*

Reuocatio etiam procuratoris iudicialis intimari debet iudici & parti, alioquin renunciatio non intimata non obesset parti, & gesta per procuratorem taliter reuocatum tenerent si ver-gant in praediciam ipsius principalis, sed tamen si respicerent commodum ipsius non valerent, nec ratificari possent per ipsummet principalem in praediciam partis. *Host. loc. sup. cit. de procurat. Felin. in cap. ex parte Decani.*

Ll 2 sup.